



4 W 2227

SERA PIASTI,
AB ORBE SARMATARUM,
PROPAGO REGIS INCLITI,
GEORGI RUDOLPHE MAJOR IN
LIGIA DOMO,
SEPTIMA NATALIS DUM QUINQUAGESIMA
LUX HÆC

FEBRUÆ CALENDAS FULGET UNDECIMO SACRA;
ANNUS UBI CÆPIT JAM QUINQUAGESIMUS UNUS,
CONSUEVIS SPATIUM SIC PERAGRARE ROTIS:
ACCIPE VOTIVAM DEXTRA CLEMENTE TABELLAM,
GRATIIS GRATIS PRECIBUSQ. PLENAM.
PRO TUA, PRINCEPS, STABILI SALUTE,
EX OFFICIO PIETATIS EO,
QUO SUMMI PROCERES ET OPTIMATES,
PARI ATQ. COLLEGÆ SUO;
ET GENS APOLLINARIUM POETARUM,
EVERGETÆ SUMMO SUO,
GRATANTUR ET PRECANTUR,
PHÆBO ET MUSAGETÆ MEO
PRIVATUS ET POETA
PAUPERIS INGENII,
GRATOR PRECORQ. RITE
VOTI REUS TAMEN ANNUI,
OFFERO SUPPLEX
PRÆCO COLERUS. 1651.

* * *
IN URBE VRATISLAVIA
HOC BAUMANNIANIS TYPIS.
GRÜNDERUS EXCUDIT MELOS.

PAEAN GENETHLIACUS.

Serior Prisci suboles PIASTI,
Per tot Heroes veniens avitos
SLECHICI sceptri, SLESII Q. clavē
Jure capaces.

Qui supergressus titulos Honoris,
Es PATRIS solā PATRIÆ benigni
Laude contentus satis, OPTIMI Q;
PRINCIPIS aurā.

Quod TIBI vortat bene PATRIÆ Q;
Principum Princeps, Dominusq. Regum
Præpotens, custos vigil Imperantū, &
Imperiorum.

Hanc notes cretā meliore Lucem,
Quam tibi Phæbus revehit quadrigis
Annuam, apponens numerosiores
Candidus annos.

Illa VINCENTI sacra, quæ beati
Martyris festo tibi lux refulsit,
Quinq; post lapsas Decades dierum
Septima cursu.

Ipse dum Cæsar BENE FERDINANDUS
TERTIUS, mundi Caput, apprecatur,
De Togatorum, Elysiis in oris,
Principe Primo.

Dum Prior natu facilis GEORGUS,
Et gravis vultu LODOICUS alter,
Tertius præsens ope CHRISTIANUS,
Gaudia miscent.



539857

Deq

Deq. servato Patruo colendo,
Vel suo curā potius Parente,
Gratias dicunt Domino Supremo,
Carminē lato.

Deq. servando Patruo, alterovē
Patre, votivā prece comprecantes,
Degat ut vivax senio in beato
Nestoris ævum.

Dumq. idem præstant reliqui nāsta,
Urbiumq. angusta Silesicar
Bresla, quæ felix sibi sat v.
Hospite. 10.

Patria dum sic pietas calefcit;
Ambigo privus, sileam, loquarvè,
Conscius curta mihi Apollinaris
Artis & æstri.

Dolium magni Cynici movebo,
Ne grege in tanto Tibi gratulantium,
Anser elingvis videar canoros
Inter olores.

Res tuas dignè celebrent togatas
Tullii grandes, Taciti, Marones,
Aut trium Confus tuus omnium instar
Præpes HENELUS.

Qui gerit cānis memoranda chartis,
Et notat seris relegenda seclis;
Vertilis tanquam patria cothurnus
Præstat utrumq.

Tanta conatur mea non Thalia,
Vix lyra compos, metuensq., ne tot
Deterat laudes genio carentis
Vena furoris.

A 2

SACRA

SACRA NATALIS celebrabo tantum,
Non velut Gracum, aut Latiale seclum
Floribus, vino, lacrimæve thuris,

Pulte fritellâ.

Sed Deo grates resonabo gratas,
Quod Tibi, Nobis, Patriq; toti,
Te reservârit meliori ut ævi

Luce fruaris.

Teg; defendit variis procellis
Temporum, Martis fremitu boantis,
Æolo excitis Aquilone & Euro,

Flamen in Austri.

Dum ratis seruos gemit inter astus,
Impotens remis, viduata velis,
Saucio malo, sine fune inermis,

Naufraga panè.

Post tot ad celum gemitus precesq;
Lustra sex ultra sine fine missas,
Occupat portum, moderante JOVA, &

CÆSARE miti.

Divæ Pax cunctis celebranda lingvis,
Divæ victuris memoranda chartis,
Fæminis, nobis, puero & puellæ

Voce canenda!

Dulce cui nomen, melos est in aure,
Ore mel, nectarg; animi recessu,
Ipsa res fructum referens ab omni

Parte salubrem.

Quâ frui gaudent homines, & omnes,
Queis dedit Natura magistra sensum:
Templa latantur sacra, Curiaq;

Arvaq; rident.

Pace

Pace nil rerum melius datarum,
Quas datum novisse homini est in orbe:
Divæ Pax centum potior triumphis,
Mille tropais.

Attici sicut cecinere, pactis
Feriis belli Pelopis popello,
Cum regustassent Bona frontem amicta
Pacis olivâ.

HASTA SIT TELIS TOT ARANEARUM
OBSITA: ET SOMNI REQUIETE CAPTOS
EXCITET NUNQUAM TUBA, AT ALES ALMÆ
NUNCIA LUCIS.

Pacis exortu rediit GEORGI,
Et Tibi securâ quies RUDOLPHE,
Ac bonam pleno comitans Quietem
COPIA cornu.

Aureum credis rediisse seclum,
Corde quod fecit penito SECUNDUS,
TERTIO cælesti ope FERDINANDO
Obtigit uni.

Tardior quamvis medicina morbo,
Ac ut humanum citius fatiscit
Corpus, at lentè sibi sumit auctus,
Temporis usû.

Sic furor Martis citius fugavit
Cum novem Musis Charites triformes,
Exules quàm nunc revocabit Orco
Angur Apollo.

Urbium lentè cineres resurgent,
Desitis tardè seges ex agellis,
Hortus incultus, viduata serò
Silva recrescet.

Marte

Marte sed pulso gelidam sub Arctum,
Bysino Irenes sapientis ore,
Nunc refert Astraa pedem, minus jam
Exul, in orbem.

Nunc amor recti studiumq; honesti,
Ambulat passu parili, pudorq;
Tota virtutum redit, & caterva
Integra morum.

Ut Magistratus, Populusq; dixit,
Omnis ut sexus, prius omnis atas:
NON SALUS BELLO, BONA PACIS ALMA
POSCIMUS OMNES.

Sic Deo grates sonat omnis Ordo:
Omnis & sexus, simul omnis atas:
HÆC DEUS NOBIS PRECE MITIGATUS
OCIA FECIT.

Nam Salus omnis revirente olivæ
Fronde nunc floret, Bona Pacis orta
Alma sentimus, magè sentiemus
Tempore adaucta.

In TUO usurpas oculis DUCATU
Quam reviviscant Ligiis in oris
Urbium vultus, facies agrorum,
Prataq; & horti.

Mater illius LIGIA URBS renasci
Incipit, bello violata & igne,
Antea & pressæ reliquæ Sorores,
Pace resurgunt.

PARCHWICI sedes Viadro propinqua,
Hic tui portus senii quietus,
Partium versis vicibus, recenti
Flore nitescit.

Gratias

Gratias ergò resonant Jehova,
Ordines Slesæ Populiq; terra,
Ac soli Mater patrii Budorgis,
PRINCIPE SALVO.

Sicut Augusto merito Senatus
Jussit edicto, fierent honores,
Civitas omnis biberet SALUTEM
PRINCIPIS EJUS.

More sed nosmet magè Christiano,
Ac pio ritu faciamus omnes,
Rite libantes meriti SALUTEM
PRINCIPIS HUIUS.

Ipse votorum reus annuorum,
POCULUM, PRINCEPS, BENE TE, propino,
Quod mihi dono tua larga in auro
Dextera misit.

Misceant grates prece temperatas
Cæsar Augustus, Proceres Silesi,
Breslicus junctus Populo Senatus;
Hymnifer ordo.

Quo choro prima praeunte palma,
Conferunt privi precis atq; voti
Symbolum, mas & mulier, juvenæ
Mixa senectus.

Imperi ut Custos, superum Imperator,
Cæsari scutum, Patriaq; asylum,
Te manu conservet utriq; longâ
Sorte beandum.

Ac ut Antiquus pater hic Dierum,
Seculi partem reliquam meantis
Addat in sænus pretiumq; longo
Principis usu.

D' nec

Donec annorum satur & laborum,
Seriùs cælis animam resignes,
Gente de totâ meritam Silesiâ, &

Cæsare Magno.

Tunc honos nomenq; tuum manebunt,
In cedris incisa vel ære, & auro,
Vel magè in cordis tabulis, anuq;

Indice chartâ.

Te pium, justum, facilem fuisse,
Cæsari fidum, Patriâq; amantem:
Hac perennabunt tibi templa & ara

Pectore nostro.





